



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

De Vnionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

1. q. 5.  
 print. q.  
 9. de co.  
 muni.  
 Concil.  
 Prou. 1.  
 quæ per.  
 ad col.  
 benef.  
 Concil.  
 Trident.  
 sess. 25.  
 cap. 9.

decem annos non præsentauerunt: & si res, cui ius patronatus annexum extitit, pluri vendita sit occasione iurispatronatus: esset enim eo casu Simonia.

Videat etiam si huiusmodi beneficijs alia beneficia libera vnita sint; & quo tempore: nam si à quadraginta annis citra, ante Concil. Trident. facta fuerit vnio, perpendat, an nulla sit, vel reuocanda; quando non sit in euidentem utilitatem Ecclesiæ: Ita etiam si nondum plenum effectum sortita sit, ipsam nullam declaret.

Sylu. de  
 benef. q.  
 6. sub  
 num. 9.

Intelligat etiam si translatum sit iurispatronatus, & quomodo: & si in laicū, an cum consensu Episcopi, qui requiritur, cum ipse cognoscere ac iudicare de-

beat, an patronum mutare, Ecclesiæ expediat. Et aduertat, quando transfertur Ecclesia, vbi est iurispatronatus; quia si iurispatronatus est solum ratione fundi, vel constructione ex simplici translatione patronatus cessat: si verò ex ratione dotis, tunc noua Ecclesia erit iurispatronatus.

Tuttes  
 Crema.  
 in cap.  
 mona.  
 sterium.  
 16. q. 6.

Cognoscat etiam an præsentatus ad præscriptū iurauerit. Et quando institutio ad inferiorē spectat, videat, an institutus ab Ordinario fuerit examinatus: & vbi inter patronos est lis, si institutio ad Ordinarium spectat, Oeconomum interim deputet: Huiusmodi enim deputatio ad institutorem pertinet.

Concil.  
 Prou. 1.  
 quæ  
 pert. ad  
 collat.  
 benef.

## CAPVT X. De Vnionibus.

Concil.  
 Trid.  
 sess. 7. c.  
 6. & sess.  
 25. c. 9.  
 Concil.  
 Prou. 1.  
 quæ ad  
 bon.  
 d. sess. 25.  
 c. 9.

**V**NIONES etiam iurispatronatus quadraginta annis citra, ante sacrum Concil. Trident. factas Visitator diligenter examinet; & vbi nullæ, vel annullandæ sunt, ipsas nullas declaret, vel annullat ad præscriptum sacri Concil. Trid. præcipuè vniones ad beneficium iurispatronatus, quæ effectum sortitæ non sunt. Et qui Vnionem supra quadraginta annos factam esse prætendit, eam Episcopo, Visitatoriue ostendere debet.

Rebuff.  
 in Prax.  
 de vni.

Ad validitatem autem Vnionis plura requiruntur; præcipuè autem, vt ex causa fiat, vt videlicet sit euidentis necessitas, vel utilitas; vt secundum canones fiat, nempe cum consensu Capituli, nisi consuetudo aliter se habeat; vt Ecclesiæ temporalibus minimè vniantur; vt dignius minus digno non vniantur; vt lite pendente non fiat; & vt verus annuus valor vtriusque exprimatur, etiam quod bene-

Rebuff.  
 in prax.  
 cit. loc.

ficiū sit manuale. Et aduertatur, quia etiam à Vicario Generali Vnio fieri non potest, nisi id ei specialiter mandatum sit.

Vlterius etiam, cum causæ cognitio requiratur, vocandi sunt etiam illi quorum interest coram Ordinario loci, qui Vnionem fecit.

Et notandū est, quòd quando fit Vnio à Papa, vel à legato de latere de Ecclesia Episcopo subiecta Monasterio alicui, vel alio modo, non eximitur illa Ecclesia à iurisdictione, & à subiectione Episcopi; & ided poterit visitari, nisi, quantum ad Papam, aliter in Vnionem expressum esset. Et aduertendum est Vnionem tribus modis fieri; Primò, vt ex duobus vnum fiat. Secundò, vt Ecclesia vna alij subijciatur, & hoc casu in impetratione principalis Ecclesiæ, non est opus exprimere accessorie vnium. Tertio vt vtraque Ecclesia remaneat principalis.

Concil.  
 Trid.  
 sess. 7. c. 7.  
 Borg.  
 decis. 4.  
 n. 9. to.  
 2. & in  
 induc.  
 verb.  
 Vnio.  
 Rebuff.  
 in loco  
 præcit.

Et



Oldra. conf. 257. cum alijs adductis per Gomef. in regul. de trien. poss. q. 2. Rebuff. in przal. loc.

Et notandum etiam est, beneficium per vnionem dici, & esse suppressum; idè amplius vacare non dicitur, cum non sit beneficium, sed prædium; neque potest permutari; & si quis permutauerit, licet permutatio effectum non habuerit, non potest ad illud redire, quando sciuerit fuisse vnitum; & Vnionis instrumento scriptum sit, quòd per cessum, & decessum Vnio effectum sortiretur. Et quando Vnio facta est sine causæ cognitione, & solemnitatibus, beneficium potest impetrari absque declaratione; secus autem si facta esset cum solemnitatibus, ex falsa causa.

Vniones autem cum odiosæ sint facile reuocantur, idè cessante causa Vnionis, Vnio reuocari potest. Reuocatio autem cum ijs requisitis fieri debet, quæ in Vnionem requiruntur. & à quolibet interesse prætendente reuocatio peti potest: & causa subsistente Episcopus potest reuocare etiam Vnionem à Papa factam. Vnionem verò reuocata, Ecclesia in illo eodem statu remanebit, in quo ante Vnionem erat, absque tamen præiudicio possidentis. Et alienationes interim legitime factæ validæ erunt.

Rebuff. in præl. loc.

## CAPVT XI.

### De Fabrica Ecclesiæ generatim.

Concil. Prou. 5. de Eccl. euf. de earum suppel.

**V**ISITATOR diligenter inspiciat, an Ecclesiæ restauranda, vel reparanda sint; & vt id quamprimum præstetur, curet: etsi opus sit, earum omnium censum, partemue huic sumptui necessariam; etiamsi equitibus Ordinis Hierosolymitani obueneret, sequestri ratione apud bonum virum depodi iubeat, qui in illarum instauracionem eiusdem iussu erogetur. Et si aliter fieri non possit, onera per aliquod tempus subleuet.

Syno. 4. dect. 35.

Si verò aliquis sit, ad quem id spectet, ipsum cogat. Vbi autem nemo tenetur omnes & singulos, diuites præsertim pro opere illo ad aliquid offerendum hortetur; eorumque oblationes à cancellario fabricæ in libro scribi faciat: & vbi cancellarius non extat, ipsum cum alijs fabricæ præfectis deputet. Vbi denique minimè restaurari possunt, & planè labuntur, eas profanari, & erecta ibi Cruce ad matricem,

Concil. Trident. sess. 12. cap. 7. Concil.

lapides, &c. necnon cœmeterium, offibus inde ad illam asportatis, transferri mandet.

Prou. 5. de Eccl. & earum sup.

Curet etiam, vt altaria omnia sint ad præscriptam formam, & necessarijs indumentis, & ornamentis instructa: Alioquin ea amoueri faciat, sicut etiam altaria nimium altari maiori, vel inter se vicina, & quæ in loco Baptisterij constituendi sunt.

Syno. 4. dect. 35. Instru. Vifit. pag. 55.

Item vt spatium inter altare maius, & cancellos accommodetur: & capellæ minores mensura constituta, aut aptentur, aut tollantur.

Vt demum loca Ecclesijs superiora, vbi profana seruantur, vel habitentur, vel dormiantur, omnino amoueantur.

Plura in hac materia à Visitatore præstanda sunt, quæ infra de Ecclesiæ constructione colligi possunt. Quæ verò quantum ad fabricam, & ad iuppellectilem etiam Ecclesiasticam statim exequenda sunt; hæc quæ sequuntur, potissima esse videntur.

F CAPVT